

Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 50

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Otto divina favente clementia rex. Noverit omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet et futurorum industria, qualiter nos quasdam res proprietatis nostrae Haganoni venerabili abbati Herveldensis coenobii, quod est constructum in litore Fuldae fluminis in honore beatorum apostolorum Symonis et Thathei, ubi etiam sanctus confessor Christi Viigberchtus corpore requiescit, in legitimum concambium concessimus. Donavimus siquidem ad praefatum coenobium in pago Thuringensi in comitatu Willihalmi comitis quicquid habuimus in Gruoningo marcu, quod idem Willihalmus comes et Gumberchtus fidelis noster eatenus in beneficium habere videbantur, cum curtibus aedificiis mancipiis omnibusque appendiciis et adiacentiis suis legitimo illuc iure pertinentibus quaesitis et inquirendis, ea videlicet ratione, ut deinceps sine ulla contradictione supradictus abbas et subiecti illi monachi potestatem habeant quicquid eis placuerit exinde faciendi. Econtra vero pari ratione ab eodem abbate cum consensu fratrum inibi domino famulantium per manus advocatorum eius recepimus, quicquid ad iam fatum monasterium pertinere videbatur in Bobbenzunon et in Eilmare cum cortibus aedificiis mancipiis omnibusque commoditatibus legitimo illuc iure pertinentibus. Et ut haec commutationis nostrae vicissitudo cunctis retro saeculis firma et inconvulsa permaneat, manu nostra subtus eam firmavimus et sigilli nostri insigniri impressione iussimus. Signum domni Ottonis serenissimi regis. Brun cancellarius advicem Fridurici archicappellani recognovi et .Data III non. febr. anno incarnationis dominicae DCCCCXLVIII, inditione VII, regnante gloriosissimo rege Ottone anno regni eius XIII; actum Franconovurt; in domino feliciter.